

in rupibus meridiem versus pronis, haudquaquam medio-
cris, alia vegetabilia huc usque translata, majora et vege-
tiora fieri videantur. Quae ratio nonnunquam novarum spe-
cierum præbuit ansam; ex. gr. *Saxifraga petræa* (Wah-
lenb. Fl. Lapp.), *Gnaphalium norvegicum*. Retz., *Viola mon-
tana* Linn. d), *Myosotis alpestris* Hopp., *Potentilla alpe-
stris* (Hedw.) Benth.

d) De *Viola montana* nihil fere est, quod agam. Profecto nimis vi-
dear sapere, si de planta tam celebri, tamque multorum doctorum
que virorum sententiis ac controversiis nobilitata, sententiam dicere
auderem. — Planta Lapponie indigena, quoad in montibus nasci-
tur, vel subrupibus meridiem versus pronis, qualitercumque *montana*
est, id est foliis cordatis obtusis, petalisque latioribus. Verum enim
vero, cum ex *montana* in paludosam abiit, ex. gr. ad ripas torren-
tium saepius inundatas, in Lappón. Pitensi ad *Koroqueik* prope
Brunskällan, et *Arvidsjaur* juxta *Stenkärn*, (unde figura in Bot. Sv.
Tab. 682.), jamjam angustior facta est, foliis magis elongatis, ut
plantæ terrestres juxta aquam crescentes vulgo fieri solent. Deinde
adest in *Vestrobottnia* forma quædam longe minor, foliis angustiori-
bus subacutis, petalis quoque angustioribus et dilutius coloratis, sicut
in *vulgari canina*, sed stipulis adhuc herbaceis dentatisve (in parœ-
ciis *Luleå* et *Piteå*). Mox *canina* incipiens juxta *Umeå* per An-
germanniam etc. Stipulis jam setaceis etc. nulla non formarum spe-
cie ludens.

Nunc quisque suo utatur judicio, an sit specie diversa. Hoc tan-
tum constare videtur, nostram plantam cum lactifloris nihil habere
commune. An vero a varietatibus *V. caninæ* grandioribus tuto di-
stingvatur, incertum est. Nam quod corolla grandior est, atque satu-
ratius colorata, hoc quidem cum multis aliis Lapponiae floribus com-
mune habet. Quod autem ad stipulas attinet, non est ignorandum, hu-